VIA SALUTIS,
SIVE
SACRA EXERCITIA,
JUVENTUTI LITTERARIÆ
ACCOMMODATA.

CUI ACCEDIT
MODUS
DIVINAM VOCATIONEM
AD
CERTUM QUEMDAM STATUM
VITÆ
AGNOSCENDI ET EXEQUENDI.

ITEM
METHODUS VITÆ CHRISTIANÆ.

AUTHORE
R.P. FRANCISCO NEUMAYR
SOCIETATIS JESU.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMTIBUS JOANNIS JACOBI MAURACHER,
MDCCLXX.

PRÆFATIO AUTHORIS.

Exercitia hic in compendio ſcripta, addita latiori amplificatione, tradidi publice anno 1744. Monachii, Studioſis Lycei primum, tunc etiam Gymnaſii, & favente DEO non ſine magno & præſentium fructu, & meo ipſius ſolatio. Porro hæc eorum Synopſis ſervire poterit ad uſum privatum cuivis Juveni literato tum pro morum emendatione, tum

pro ſanctius inſtituenda de vitæ ſtatu deliberatione. Singulariter etiam iis proderunt, qui, antequam ad ſacros ordines abeunt, eadem ſub directione Viri religioſi inſtituere volent.

SYNOPSIS
EXERCITIORUM.

SCOPUS.

Resolutio serviendi DEO cito, serio, constanter.

MEDIUM.

Serius timor DEI.

OBSERVANDA.

Fuge, tace, quiesce.

Fuge in solitudinem, & a conversatione te abstrahe: Deus animæ solitariæ loquitur.

Tace, & observa silentium, ut animus collectus in se facilius veritatibus æternis se applicet.

Quiesce ab omnibus negotiis ad animam non ſpectantibus, & omni tempore, ab Exercitiis Meditationum vacuus, *ora, lege, ſcribe*, quæ ſpiritum juvant.

MOTIVUM.

Periculum ſalutis.

Nam plures ſunt cauſæ timendi, quam ſperandi. *Spem* enim faciunt tibi tria nomina, quod chriſtianus, quod ſtudioſus, quod ſodalis ſis: ſed qualis es? nempe ut ficus, quæ habet folia, & præterea nihil. *Metum* autem facit Scriptura, exempla Sanctorum, & ratio: nam, ut damneris, ſufficit peccare, & mori: utrumque quam facile contingit? Et ſi contingat, quid futurum eſt? Heu! eris infelix creatura, quæ Deum æternum amare non poterit, quam Deus æternum amare non volet.

Oblatio S. Tridui.

Quod igitur cœlum approbet, ſtatuo tres dies ſerio impendere ſalutis negotio: ſuſcipe S. Trinitas hanc voluntatem, & adjuva! Mater Virgo ora pro me! S. Angele invigila mihi!

DIES I.

Scopus diei, resolutio serviendi Deo cito. *Medium*, timor Dei ex vita præterita male acta.

MEDITATIO I.

De fine hominis.

1. *Necesse est Deo servire.* Nam, ut obediamus sibi, Deus jubet: *de ligno scientiæ*, ait Adamo, *ne comedas.* An obediamus, Deus videt: *Adam, ubi es?* si non obedimus, Deus punit: *morte morieris!* quid faciam? *præsens & futura* mea felicitas a Deo pendet: si servire nolo ad gloriam misericordiæ, servire debebo ad gloriam justitiæ. Væ mihi, si istud malim!

2. *Necesse est Deo cito servire.* Nam præcepta Dei non solis viris, & senibus, sed *juvenibus* etiam scripta sunt: neque licet dicere: in vere serviam Veneri, in æstate Mammoni, in autumno Baccho, Deo vero in *hyeme*: sed scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis*, uti omni loco, ita omni tempore, quia in omni loco & tempore est

Dominus tuus, ac *Deus tuus*: ſemper, & ubique *illi ſoli* ſervies, nec habebis *Deos alienos* coram ipſo. Contumacem, *jam nunc* aut *pœna ſenſus* manet, & multa flagella, quibus delicta juventutis *caſtigabit* miſericors *Deus*, aut *pœna damni*, quando te deſeret *juſtus Deus*, & tradet te deſideriis cordis tui, quibus abreptus etiam, cum ſenueris, non recedes a via mala, ſaltem diu, & integre; quippe jam *aſſuetus contemptui* ſive periculorum, ſive remediorum, donec nihil opinantem Nemeſis opprimat. Vide, quo ruas.

Fructus. Ergo in te reverſus, dic: Erratum eſt! Surgam, & dicam: peccavi in cœlum, & coram te Deus, Pater, Fili, Spiritus S. Non ſum mei juris: tu creaſti me! tu emiſti me tuo ſanguine, tibi ſervitutem juravi in baptiſmo: tuus ſum! tibi ſervire debeo, & ſemper debui: non ſervivi! erratum eſt! deprecor! hodie finis ſit contumaciæ: ſerviam, & *hodie* ſervire incipiam: nam ſi aliquando velim, quare non modo? nunquid hodie æque terribilis es, ac eris cras? & hodie æque amabilis,

es, Deus mi, ac eris olim? hodie ergo finis malorum sit! vade retro satana! erratum est! Jesus pro me fuit in *laboribus* a juventute sua, & ego in *sceleribus* vixi! heu! serpens, malus serpens decepit me! erratum est! delicta juventutis meæ ne memineris, Domine! ecce modo! ecce hæc hora finis est turpitudinis meæ, nugæ nugarum ite! Dominum Deum meum adorabo, & illi soli serviam, *illi soli.* Nolo esse homo superfluus.

Propositum particulare. Initium servitutis faciam *ab actibus religionis*, & exercitio reverentiæ in templo, de qua ut curam excites, instituatur sequens

CONSIDERATIO
de rusticitate erga Deum in templo.

§. I.

Actus rusticitatis enumerantur.

S. Dominicus visum in templo dæmonem interrogavit, quid ageret? respondit: laboro, ut homines *tarde veniant*, & cito abeant. Enim vero gravis rusti-

citas: nam, qui inſtar limarum adrepunt, ſive ad officium divinum, ſive ad concionem: nunquid opere ipſo fatentur, moleſtum eſſe ſibi, ſive loqui Deo, ſive loquentem audire? Et qui feſtinant exire, nonne credere videntur, male ſibi periiſſe tempus, quod divino cultui impenderunt? atqui recordari oporteret, in piſcina probatica illum ſolum ſanitatis gratiam recepiſſe, qui, cum aqua moveretur ab Angelo, *primus* intraſſet: Saulum vero regni jure privatum eſſe, quod adventum Samuelis non exſpectans, citius, quam oportebat, ſacrificio peragendo manus moræ impatientes applicaverit. Non datur benedictio, niſi ſub Miſſæ finem.

Sed accedunt his geminis multo plures, & graviores abuſus, ex quibus primus pertinet *ad ſitum corporis*, in quo peccant, qui *ingredientes pompatice domum Iſrael*, cum Phariſæo *ſtant* erecto collo, & pingui cervice ſic, ut exterior compoſitio clarum teſtimonium præbeat ſui de ſe judicii, quod non ſint, *ſicut cæteri hominum*. Ah! quanto ſapientius tu habitum, & geſtus publi-

cani assumes! Alter abusus *in neglecta nimis genuflexione* consistit, quali fortasse usi sunt lictores coronatum spinis Regem regum per infame ludibrium adorantes. Tertius *in vaga oculorum licentia* exercetur. Quem quæritis? Jesum Nazarenum utique: atqui *non est hic* in angulo, ad januam, inter musicos: in ara est, in ara obtutum figite. Quartus est garrulitas & cachinni. Audi: Dominus est in loco isto: dices: *ego nesciebam?* atqui hoc tibi apparatus aræ, hoc sacræ imagines, hoc ipsi muri clamabant, quomodo nescire poteras? Quintus ex abusu tabaci est natus, per quem fit, ut vanæ urbanitatis officia tuam, & alienam devotionem conturbent. Alium pulverem inspergit Ecclesia capitibus, cineres, cineres orantem juvant, & illud Abrahami suspirium: *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis & cinis*, atque isti sunt actus rusticitatis erga Deum, quos tu etiam coram te exerceri a minore non ferres. Omitto de illis dicere, qui ut peccent, non cum prodigo in regionem longinqnam, sed in templum se conferunt, illudque non solum in spe-

luncam

luncam latronum, ſed etiam in delubrum idolorum convertunt: quæ veneratio templis debeatur, dicamus.

§. II.

Damnantur.

Domus mea domus orationis eſt, hoc eſt, domus deſtinata ad Deum *adorandum* & *exorandum.* *Adorare* Deum deberes in omni loco, fert tamen, ut alibi obliviſcaris præſentiæ ſuæ, modo ſaltem in templo memineris. Hic habitat *ſingulariter* tanquam in throno gratiæ reſidens: & habitat *corporaliter* volens, ut compenſentur injuriæ ſacro corpori illatæ Hieroſolymis: & tu veteres novis cumulas? ſic adoras?

Exorare Deum neceſſe eſt tibi, ſive peccata conſideres, quæ deprecari, ſive gratias, quibus indiges, & quas impetrare debes. Quodſi in templo nova peccata committis, quomodo gratiam ſperas? aſylum ſcelerati eſt templum, ſed non aſylum ſceleris.

Con-

Conclusio.

Imitare Christum in oliveto orantem, humiliter, attente, ferventer.

Vel si mavis, angelos intuere, qui duabus alis velabant pedes, duabus faciem, & duabus volabant.

Aut age saltem, quod Abraham egit, qui sacrificaturus Isaacum dixit famulis; expectate hic cum asino.

Aut saltem diabolos intuere, qui credunt, & contremiscunt. Ah! cum in templum imus, non imus ad vitulos aureos: ad Deum, qui vivit & regnat, imus ad Deum.

DISSERTATIO HISTORICA

de mala fiducia in confessione.

Enim vero servire Deo necesse est, & *cito* servire. Sed audio, qui per fiduciam confessionis audaces huic necessitati adhuc dare manus recusant: quid enim, ajunt, etsi indulgeam mihi, & vivam, ut libet, utique possum confiteri. Debeo hujus fiduciæ malitiam primo, deinde stultitiam explicare in exemplo, quod refert P. Pina-

mont

monti S. J. in via cœli, impedimento ſecundo.

§. I.

Fiduciæ iſtius malitia.

Fuit italus juvenis diu in omnem ſcelerum licentiam effuſus: ſed denique cum accidiſſet, quam grave ſit libidinis ſcelus, quippe per quod fieret, ut nulla pars hominis ſive in corpore, ſive in anima, non eſſet diaboli; ſtatuit per confeſſionem generalem vitæ novæ initium facere, & ſe Deo reconciliare. Sedet, cogitat, ſcribit ſedulo omnes peccatorum ſpecies, numerum, circumſtantias: jamque arrepto pallio in templum properat, ſacro Medico ſua vulnera explicaturus. At ecce! per viam, dum præterit notas ædes, a familiari puella conſpectus invitatur ad novum flagitium, deliberat, vincitur, conſentit, cogitans ſecum: *adhuc ſemel, nam deinde hoc peccatum una cum cæteris confitebor.* Jeſu! quæ hæc malitia eſt hominis? itane ſacramentum pœnitentiæ ſervire audaciæ debet, & tu malus es, quia bonus eſt Deus? ah! quod

quod dæmones Deum oderint, nihil miror! iratum ſentiunt: at, quod homo Deum patientem, benevolum, in ipſa via, in qua uti prodigi pater obviam ſe in amplexum effundit, adhuc ſemel offendere audeat, ac in oculis ejus quaſi dicere: *Expecta, adhuc ſemel amplectar ſcortum, poſtea te:* hæc eſt malitia omnem dæmonum malitiam ſuperans.

§. II.

Stultitia.

Et accedit malitiæ ſtultitia immanis: Nam quid? *Adhuc ſemel, deinde confitebor cum cæteris!* ſcis, homo ſtupide, quid ſit confiteri? confiteri, non eſt narrare flagitia ſua, ſed reum ſe agere cum ſummo *pudore*, & maximo *dolore:* atqui dicere: *faciam hoc, deinde erubeſcam, & dolebo feciſſe,* nonne ſtulta eſt reſolutio? quis enim ſapiens facit, de quo ſcit, ſe doliturum, ſi fecerit? & accedit periculum animæ: nam ſi peccatis cæteris unum addis, forte imples menſuram, & quid tum fiet? nempe deerit vel confitendi tempus, vel confeſſionis occaſio, vel

confeſſarius, qui tibi placeat, vel confitendi voluntas, vel fiet confeſſio, qualis fuit Judæ, ad ſpeciem, & ſine vero dolore: verus enim dolor eſt gratia, quam Deus temerarie peccanti ſæpiſſime negat. Negavit juveni, de quo narravi. Nam ædes ingreſſum vidit æmulus, exarſit, pugionem arripuit, irrupit, & in ipſo flagitio occupatum confodit. Confeſſio generalis reperta eſt in veſtibus infelicis: ſed abſolutionis conſequendæ ſpes æternum interiit. Oportet igitur ſervire Deo *cito*, & ſervitutem ab emendatione vitæ præteritæ *per acerbum dolorem* incipere. Ei excitando ſerviet

MEDITATIO II.

de gravitate peccati mortalis.

1. Conſidera *peccati naturam.* Peccatum eſt *libera transgreſſio præcepti divini* lati ſub pœna inferni, & ejus malitia conſiſtit in petulante inobedientia contra Deum, qualem nec tu a famulo ferres, quia juncta eſt cum contemptu, quaſi præcepti tui auctoritatem vindicare non poſſes. Unde recte dices:

dices: malo mori, quam peccare, nam peccatum eſt malum *morte majus*, quod majora bona aufert, quam mors, nempe non ſolum vitam, ſed gratiam, & majora mala infert, quam mors, imo eſt omnis mali initium, cujus mors eſt finis: & minorem ſpem reſurrectionis relinquit, quam mors: nam omnes damnati per ſpem pœnitentiæ decepti ſunt. Impii ſunt quaſi mare fervens: ſed tu Deus conſtituiſti terminos mari: repente peccandi ſimul, & vivendi eſt finis.

2. Conſidera *circumſtantias peccati*. Quis peccat? non jam Lucifer, ſed vilis homulus, pugillum pulveris: quid offendit? non ligneum Jovem, ſed Deum vivum, Regem regum: ubi? non clam, ſed in oculis: quibus auxiliis? illis oculis, auribus, manibus, lingua, corde, ſanitate, quam Deus dedit, & conſervavit: cur? non propter omnia regna mundi, vel tyranni minas: ſed propter pomum, ex timore ſcurræ: quomodo? non ſemel, & per impetum, ſed ſæpe, & ſtudioſe: quando? illo anno, menſe, die, hora, qua Deus ei benefacit,

& diaboli furorem continet, ne devoret.

2. *Fructus.* Et ego non miror, quod adhuc creaturæ serviant rebelli? quod sol nondum radios in tela mutaverit? . . . . fecisset, nisi Deus parceret. Ah Deus! cujus imaginem in me sic deturpavi! similis factus belluæ, uti Nabuchodonosor. O pudor! non ego sic formavi te, ait Deus, alius, alius ex baptismo prodiisti, & qualis? o qualis *fuisti* tunc? nunc vero qualis *es*? & nisi esse desinas, qui es, qualis *eris*? erratum est! pereat hora, qua te primum graviter offendi, mi Deus! o peccatum! o grave malum peccati! quis mihi dabit, ut nunquam peccaverim! . . . at nunc saltem finis sit: peccatum satis est, plus, quam satis. Doleo! execror! deprecor! da veniam, Deus, de præteritis, & contra futura gratiam! gratiam! . . .

Propositum particulare. Semel bene confessum esse satis est: sed semel doluisse, non est satis. Igitur saltem quoties confitebor, toties dolore novo dolebo non solum de peccatis, quæ confiteor, sed vel maxime de

de delictis juventutis. Imo quoties aqua benedicta conspergam me, dicam cum amaro sensu doloris: Deus, optime Deus, propitius esto mihi peccatori, dolenti dolore serio, deprecanti fervore maximo! Hoc si negligis, tempore tentationis vix eris memor mediorum, per quæ vincitur.

Dies II.

Scopus diei, resolutio serviendi Deo serio.
Medium, timor Dei ex malis imminentibus non serio servienti.

MEDITATIO I.

De judicio extremo.

1. Quid videbimus? peccati gravitatem videbimus ex mundi concremati cineribus: ex corporis damnati fœditate. O metamorphosis! ex societate impiorum infamiam: ad bestias damnaberis: sed hæc sunt initia dolorum: Deum iratum videbimus ex signis, in sole, luna, & stellis: ex apparatu & majestate in adventu de cœlis: ex facie judicis gladium bis acutum in ore ferentis: sed initia sunt dolorum. Deum

amabilem videbimus in aſpectu crucis, & vulnerum: in comitatu B. Virginis & Sanctorum, in beatitudine familiarium, & forte complicum, quibuscum peccavimus, ſed quibuscum pœnitentiam non egimus. Sed initia ſunt dolorum: & tamen vel ad hæc initia in quos affectus cor diſcerpetur?

2. *Quid audiamus?* vocabit judex adverſum te tempus, & audies accuſationes temporis, hoc eſt, annorum, menſium, dierum, noctium, & horarum male perditarum, aut nugis immolatarum: vocabit adverſum te loca, in quibus vixiſti, templum, cubile, hortos: vocabit perſonas, inter quas vixiſti, ſuperiores, æquales, ſubditos: vocabit ſanctos, quorum beneficiis abuſus, & viros pro te ſollicitos, quorum conſiliis & meritis non es uſus: vocabit reprobos, gentiles, ipſos dæmones, quod prius, quam ipſi feciſſent, vitæ tuæ ſeriem transegeris. Sed & hæc initia ſunt dolorum.

3. *Quid dicemus?* cum videbis mundum in cineribus, exclamabis: hæccine eſt illa Jezabel? cum corpus titioni infernali ſimile, dices: quomodo mutatus eſt color opti-

optimus! cum te inter fures, & mœchos', in fæce hominum & turba dæmonum videbis, ingemiſces: ubi ſum? cum iratum judicem videbis, ejulabis: cadite montes, operite me! cum amabilem Deum videbis, fremes: potuerunt iſti, cur ego non! hæc dices, cum hæc videbis. Cum vero audies contra te tempus, loca, perſonas, conſcientiam, ipſum ſanguinem judicis, quid dices? eja! nunc utere mendaciis, in quibus ita eloquens es! tege, excuſa, ora! fruſtra: uti hoſpes ſine veſte nuptiali obmutuit, ſic tibi fiet. Ergo ſequetur ſententia, quæ eſt vox tonitrui *in rota*, quam in circulum redeuntem æternum audies, & ejus effectum æternum videbis: atque hæc videns, & audiens æternum maledicens diei nativitatis, creatori, redemptori . . in rota, in rota, in rota.

Fructus. Leo rugiet, quis non timebit? ecce judicandus ab hominibus Deus cœpit pavere, & mœſtus eſſe, & non timeat judicandus a Deo homo? ah! timeo! & triſtis eſt anima mea usque ad mortem! o Jeſu, tranſeat a me calix iſte, calix furoris tui!

delicta mea pavesco: sunt multa, fœda, gravia: ante te erubesco tandem, qui hactenus ante homines solum erubui, contentus latere. Ah! nunc age, quod lubet: sed cum veneris judicare, noli me condemnare.

Propositum particulare, horror sacrilegæ confessionis, & seriæ emendationis decretum, quo statuas, non solum peccata vitare, sed etiam peccatorum radices exscindere, de quibus proinde fiat

CONSIDERATIO
de occasionibus peccatorum.

§. I.
Recensentur.

In quinque digitis enumero radices, ex quibus cauda malorum progeminat. 1. est *amor otii*, grave malum, vel si aliud nihil noceret, quam quod per eum homo fiat ineptus ad seria, & nugis assuescat. 2. *libido ludendi*, gravè malum, quo Deus offenditur, proximus irritatur, anima infatuatur. 3. *compotationes*, grave malum, per quod pecunia,

nia, ſanitas, fama & talenta perduntur. 4. *licentia linguæ*, grave malum, & ſcandalorum ferax, ex quibus peccata aliena præter tua tibi accumulas. 5. *ruſticitas morum*, grave malum, quod uti in efferum Ismaelem manus omnium adverſum te provocat, imo contemptus & odium. Viden', ut ſingulæ caudam malignam trahant: ergo ſi *ſerio* ſervire Deo vis, aſciam admove.

§. II.

Exſcinduntur.

Contraria contrariis curantur: igitur *amor otii* exſcindetur *per amorem laboris*, qui ut excitetur, ora, meditare, exerce, & vince te, neque tædiis cede. *Libido ludendi* moderationem habebit, ſi vitia, quæ per chartarum colores indicantur, vitaveris: & ſcilicet: *rex cordis* fueris, nec patiaris affectionem ad luſum imperare tibi: ſi *nolas* projicias ſtultitiæ ſymbolum, qua illi laborant, qui ludunt lucri cauſa, non recreationis gratia: ſi *folia* fugias, quibus Adam ſe texit, latebras intelligo, & loca prohibita: demum ſi *ſiliquas* oderis, ad quas adiguntur

cum prodigo, qui pro pretio nimis magno ludunt. *Compotationes* ut averſeris, ſufficiet reflexio ad pericula corporis, famæ, & animæ, quibus ſe combibones exponunt. *Linguæ licentiam* cohibebit conſideratio finis, propter quem linguæ uſum tibi Deus conceſſit: Deum evchariſticum cole, qui toties hoc membrum ſibi ſuo attactu ſacravit. *Ruſticitati* tandem humanitatis exceſſum appone: præſtat, nimis, quam minus urbanum dici: etiam qui infra te ſunt, non alia re magis conciliabuntur tibi, quam ſi humanum experiantur: æqualibus autem ne familiaris fias, humanitas faciet, quæ ſemper reverentiam imperat, virtutem vitio nimiæ familiaritati contrariam. Superiores autem multo amplius afficiuntur humanis, quippe quod humanitas indolem prodat ceream, ac facilem flecti, ruſticitas quercum inflexibilem.

Concluſio.

Atque ita habes quinque capita, in quæ oculos figas, ne ſe efferant, & affectent imperium contra te: tu impera: in hoc imperio totius hominis *exterioris* reformatio conſi-

conſiſtit, quam *interioris* correctio facile ſequetur, & ita fiet, quod Apoſtolus vult, ut provideamus bona non ſolum coram Deo, ſed etium coram omnibus hominibus.

DISSERTATIO HISTORICA.

De malo malæ conſuetudinis.

Ad quinque radices malorum addamus ſextam, inter omnes peſſimam, quæ eſt *conſuetudo peccandi*, quam niſi quis ſerio velit exuere, nunquam ſerio volet Deo ſervire. Opus eſt vi, & de conſuetudinariis ad litteram verum eſt; regnum cœlorum vim patitur, quam niſi adhibent, actum eſt de ſalute. Rem ex Recupito per exemplum probabo.

§. I.

Malum culpæ.

Fuit Florentiæ nobilis juvenis, qui poſtquam ſemel ſecum ipſo turpiter peccavit, ſive per curioſitatem ſcelus prima vice fecerit, ſive ab alio incitatus, cum confiteri auſus non fuiſſet, & adeo neglexiſſet ſtatim ſub initium morbi adhibere remedium, cœpit ſcelera cumulare ſceleribus, & inſuper

 ſacri-

ſacrilegia ad horrorem multiplicare; denique, cum in profundum veniſſet annoſæ conſuetudinis, conſcientiæ remorſus contemnere, nec ultra de remedio cogitare. Grave malum! utinam miſer obſtitiſſet principiis, nunc niſi per remedia violenta non ſanabitur: ſupereſt tamen ſpes, ſi *ſerio* velit. Vis *ſanus fieri*, fili mi? volo, ais, nam video, hac via ad cœlum non iri. Recte! igitur *confitere*, hoc primum, & *confitere ſæpe*, ac eidem, hoc ſecundum remedium eſt. Confiteri pudet! pudorem ut vincas, utere exordio, & dic: Pater, infelix fui, & in peccatum incidi, quod confiteri vix audeo: hoc ſi dixeris, viciſti te. Verum una ſola confeſſione radix mali non tollitur: a relapſu tibi metue, & ideo ſæpe confitere, neque peccata ſolum, ſed etiam tentationes: medicum malum dicis, qui poſtquam a morte eripuit ægrum, ſtatim deſerit: etiam convaleſcentem debet inviſere, & audire, quæ quotidie a morbi reliquiis circa ſomnum, cibum, arteriam, mutationes contingant. Idem de confeſſario cogita. Quid autem confeſſarius aget? 1. cura-

curabit, ne relabatur cliens, ideoque paciſcetur ad tempus, & docebit, ut redeunte tentatione ſaltem decernat abſtinere a conſenſu per horam, tum per diem &c. poſtea ſi relapſus fuerit, curabit, ut confiteatur *cito*, & cavebit, ne novus miles iterum victus abjiciat animum ad pugnam: ſuadebit, ut ſponte per votum ſe obliget bonus tyro ad *moleſtam ſibi pœnitentiam*, ſub conditione, *ſi fuerit iterum relapſus*, ſubeundam. Denique curabit, ut cliens relapſum horreat non ſolum ex timore Dei, ſed ex *amore:* amor vires ad conſtantiam dabit, & urgebit, ut occaſiones *externas* ſedulo fugiat, tentationibus autem *internis* ſtrenue, & ſtatim *actum contrarium* opponat, & dicat: amo Deum, & Deus me. Non poſſum hoc malum facere.

§. II.

Malum pœnæ.

Sed inutile conſilium eſt juveni, de quo narro: jam enim interiit: horridum caſum narro. Aſſueti ſceleris tentatione iterum pulſatus, uti vim ſibi facere non erat ſolitus,

tus,

tus, ita facile victus in cubile se abdidit, ut solus esset. Verum dum se accingit flagitio, ecce in forma lictoris adstat truculentus dæmon, consternatum affligit humi cum impetu, solvit ligulam de genu, collo infelicissimi adolescentis alligat, & palpitantem ad clavum ex lectica suspendit. Atque hoc facinus patravit diabolus ex imperio angeli custodis, cujus sanctissimos oculos temerarius flagrio toties fœdi criminis perpetratione offenderat. Hæc mors horrenda nos docet, quis exitus maneat assuetos peccare, & in seria sui victoria languidos. Ah! nescis, miser, quis tuis sceleribus constitutus sit terminus: impleta mensura actum est de te: angelus tuus te tradet diabolo: *angelum in omni angulo time.* Ut crescat timor, qui est initium sapientiæ, sit

MEDITATIO II.

de pœnis inferni.

1. *Quid est damnari?* damnari est cœlo excludi, & in infernum venire. Quid est cœlum? paradisus voluptatis, locus, ubi *omne bonum est & nullum malum.* Brevis descriptio

ſcriptio eſt, ſed admirabilis ſenſus: nam ſi jucundum eſt vivere, quid erit vivere ſine omni dolore, in omnibus deliciis, & hoc æternum? Et quid erit ab hoc loco excludi in æternum? ut rugies cum Eſau, flebis cum fatuis, fremes cum epulone! - - & quid eſt infernus? *eſt locus tormentorum*, quem ſi aſpicis oculis corporis, eſt terra tenebroſa, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror, a tenebris, ab anguſtiis, ab igne, a fumo, ab incolis: ſi conſideras oculis mentis, eſt locus, ubi erit fletus a memoria de præteritis, & ſtridor dentium a ſenſu malorum præſentium: ſi intueris oculis fidei, eſt locus, qui paratus eſt diabolo, ſine ſpe finis, ſine mixtura ſolatii, cum deſperatione æterna.

2. *Quis damnabitur?* Innocentes dicunt: non ſumus rei! pœnitentes: jam ſumus confeſſi! peccatores: jam confitebimur! quis ergo damnabitur? ℟. decepti. Tu vide, ne ſis inter deceptos ſive innocentes ſive pœnitentes, ſive peccatores: hoc eſt, inter eos, qui Deo vel non ſatis cito, vel non ſatis ſerio, vel non conſtanter ſervierunt.

runt. Inter deceptos si eris tu, superi! quæ erit imago tua? quæ species? prunæ pro oculis, ferrum candens pro lingua, serpentes pro crinibus &c. o miser! si modo pauper, & æger conflictaris cum doloribus, & deinde damnaberis, geminum infernum pateris! o delicate, si nunc in deliciis vivis, quam erit tibi molesta mutatio! muta vitam nunc, ubi tunc optares mutasse: tunc clamabis: utinam! utinam! sed o inutile utinam!

Fructus. Pone te, uti es meritus, jam ante annum damnatum esse: hodie autem venire angelum in tormentis posito dicentem: quid faceres, si Deus te liberaret? confiteri velles? vinceres te? fugeres occasiones, ludos &c.? non tu ad omnia prompte te resolveres? sine dubio: at ecce, majus beneficium facit Deus, non damnavit, & fateri debes tamen: nisi Dominus custodisset me, paulo minus in inferno habitasset anima mea, ibi ureretur, fremeret, ejularet: & te non abjicis ad hunc Dominum? non clamas: o Jesu! esto mihi Jesus, & Salvator!

Pro-

Propositum particulare. Seria consideratio, an non sim inter deceptos, sive falsos aut innocentes, aut pœnitentes. In metu ergo & tremore operemur salutem nostram: nemo certius salvatur, quam qui semper timet damnari: nam timor cautum facit.

Dies III.

Scopus diei, resolutio serviendi Deo constanter.

Medium, timor Dei ex gratiis, per quarum non usum indignos nos facimus gratia finali, ex qua pendet æternitas.

MEDITATIO I.

De passione Domini.

I. Fructus P. D. N. J. C. in aliis. Ad quæstionem Christi: quæ utilitas in sanguine meo? si *de aliis* loquamur, secure respondemus: magna, magna, magna utilitas est, non solum totius passionis, sed & partium singularum. Nam 1. fructus tristitiæ in horto est ingens numerus pœnitentium in melotis, in pellibus caprinis, in spelæis ferarum. 2. fructus flagellationis chorus

chorus virginum & innocentium malentium mori, quam fœdari. 3. fructus ſpinarum chorus confeſſorum palam profitentium Chriſtum Regem per exercitium & beatitudinem: 4. fructus bajulationis chorus apoſtolorum onus prædicandi Evangelii ſuſcipientium in laboribus plurimis, in plagis ſupra modum. 5. fructus crucifixionis chorus martyrum, qui Chriſto confixi ſunt: denique fructus mortis reformatio totius mundi cum ruina idolorum, exilio vitiorum, & cultu virtutum. Vere Servator mi ibas & flebas mittens ſemen tuum: veniens autem venies portans manipulos, & reſurgens duces in triumpho captivam captivitatem, per ſingula ſæcula. Ecce ad vocem clamantis jam monumenta aperta ſunt, & Lazari ſurrexerunt ad vitam novam. Hic eſt fructus in aliis: ſed quis in me?

2. *Fructus P. D. N. J. C. in me.* Fructus in me ſimilis eſſe deberet, nempe *reformatio mei:* ſi non ſit, non acceptabit pro me juſtitia ſatisfactionem Chriſti, ſed, quem ille proceſſum judicialem pro me ſubiit, in me incumbet. Veniet dies, cum erit anima

ma mea triſtis usque ad mortem, cum irruent in me inimici, & velut latronem ac homicidam trahent ad tribunal: cum accuſabunt me omnes creaturæ, conclamantes: crucifige, reus eſt mortis! cum tradat me judex voluntati earum: cum illuſum & flagellatum dæmones cruci æternitatis tribus clavis affigent, clavo ſeræ pœnitentiæ, clavo extremæ triſtitiæ, clavo funeſtiſſimæ deſperationis. Hæc mala manent me, ſi Chriſtus fruſtra eſt paſſus pro me. Quis igitur fructus eſt paſſionis in me? ad quem chorum Sanctorum pertinerem, ſi hodie morerer? inter virgines? ego tantillus puer, & tantus peccator! inter martyres? ego qui ad vocem ſcurræ, vel viſum ancillæ tremo! inter apoſtolos? ego qui diabolo plures, quam Chriſto lucratus ſum! inter confeſſores? qua igitur religione Deum colo, qua virtute emineo inter quatuor cardinales? ſupererit chorus pœnitentium ſaltem? ego, cujus hæc eſt perpetua viciſſitudo, peccare & confiteri, confiteri & peccare? ubi eſt ſatisfactio? ubi fuga occaſionum? ubi uſus mediorum? ubi fru-

ctus digni hoc nomine? verbo: ubi *reformatio? odisse debeo, quæ amavi, & amare, quæ odi*, hæc vera conversio foret! videns me de cruce Jesus flet super me, & dicet: utinam cognovisses & tu, quæ ad pacem tibi! quid potui facere, & non feci?

Fructus. Hora est jam me de somno surgere: audio Paulum: nescitis, quoniam non estis vestri, empti estis pretio magno! oculi isti non sunt mei, emisti eos lacrymis tuis, Jesu mi! aures istæ non sunt meæ: emisti opprobriis - - & ego abusus sum! ah! quæ utilitas in sanguine tuo? si alii meliores non essent, frustra fuisses passus: sed de aliis gratulor tibi, de me doleo: vixi hactenus ac si meus, non tuus essem! nunc vivam ego jam non ego, vive in me tu, ecce quærens me sedisti lassus: redemisti crucem passus: tantus labor non sit cassus.

Propositum particulare. Resolutio ascendendi ad chorum pœnitentium primum per fructus dignos pœnitentiæ, qui sunt *sustine*, & *abstine*: deinde ad chorum Sanctorum, qui competit vocationis gratiæ, cui cooperabor constanter. Sed quoniam constantiæ

tiæ nihil magis nocet, quam tædium, & acedia in exercitio virtutum, ſit

CONSIDERATIO
de lætitia ſpirituali.

§. I.

Lætitiæ ſpiritualis natura.

Vitam piorum non eſſe melancholicam ex natura veræ lætitiæ demonſtro: lætitia eſt jucunda affectio animi nata ex opinione boni præſentis: proin falſa lætitia, ſi opinio falſa eſt, uti ſomniantium, vera, ſi vera opinio non, ſed & iſta aut mala, aut vera aut bona lætitia eſt, prout bonum præſens, de quo gaudemus, aut prohibitum, aut verum aut ſanctum eſt bonum. Sed præcipua diviſio eſt in corporalem & ſpiritualem homini ex materia & ſpiritu conſtanti, propriam, ſunt, qui de ſola lætitia corporali ſciunt aliquid, uti ille, qui dixit: anima habes multa bona, comede, bibe, epulare! o animal! nam quid aliud bos aut aſinus loqueretur, ſi loqui poſſet? at quare quærimus lætitiam *extra nos*? intra

nos eſt, in animæ pace eſt! convenit lætitia ſpiritualis cum corporali in ſignis, qualia ſunt riſus, jubilus, & in interruptione, quæ fit per ſomnum, curas &c. ſed differunt in opinione, & materia, quia lætitia *ſpiritualis* eſt jucunda affectio animi (ecce genus) nata ex opinione ſatis certa de ſtatu gratiæ (ecce differentia) & hæc ſola lætitiæ nomen meretur. Circuivi, ait ſponſa, quæſivi, quem diligit anima mea! quæſivi in lectulo, in vicis, in plateis, in hortis, in ludis non inveni: paululum cum pertranſiſſem, tunc inveni, intra me nempe, intra me.

§. II.

Effectus.

Sed cœco loquimur de colore: guſtate & videte per experientiam, quantus ſit lætitiæ ſpiritualis fructus, in proſperis, ubi moderatur vani gaudii exceſſum, & in adverſis, ubi ſolatur naturæ mœrorem, magis aut minus tamen, prout objectum plus aut minus eſt bonum, aut plus vel minus applicatum: ſicut enim, qui non applicat oculos

los picturæ, vel aures musicæ, non habet ex his objectis voluptatem, ita *de statu gratiæ* non delectatur, qui, ut infans, non applicat memoriam, & intellectum ad cogitandum, quanti sit, posse cum fiducia dicere: *ego amo Deum, & Deus me!* qui vero se applicat, sentiet ipso usu discrimen gaudiorum spiritus ac sensuum, & nempe quod 1. gaudia sensuum cito satient, & tædium ferant, gaudia spiritus nunquam: quo enim plus & diutius habentur, plus desiderantur. 2. quod gaudia sensuum tollantur invitis, & per modicam adversitatem e. g. per dolorem dentium cessent: non ita gaudia spiritus: quantumvis corpori male sit, semper tamen spiritus exultans dicet: ego amo Deum, & Deus me! hoc solatium nemo tollet nolenti. Denique ut paucis dicam totum: gaudia spiritus sunt gaudia angelorum, gaudia sensuum sunt gaudia animalium.

Conclusio.

Vide ergo quid dicas, cum dicis: *heri læti fuimus?* quid ergo fecisti heri? dormivi ad octavam, deinde ambulavimus: epulati su-

mus: lusimus: saltavimus! iterum dormivimus! o animal! animal! animal! nam quid aliud diceret mulus aut vitulus, quam suos saltus, aut pascua! - - non tamen peto, ut gaudia corporis omnia abjicias: compositum sumus: *moderari* ut velis, volo, & ut gaudia spiritus *pluris æstimes*. Gaudete! non ut spectra ambulate cum virtutis infamia, quasi sine melancholia coli non posset gaudete in Domino semper, sic ut gratia sanctificans vobis ex oculis micet: nolite pueri effici sensibus, & æstimare gaudia, qualia sunt ludere par impar, equitare in arundine longa! ah! quousque parvuli diligitis infantiam? vetus, vetus Jerusalem est, quæ exultavit, cum Christus flevit super illam, & dixit: venient inimici tui, & circumdabunt te, & coangustabunt! Hic finis est lætitiæ animalis! at vos ab hac civitate fugite in aliam: ecce Jerusalem novam descendentem de cœlo sicut sponsam! hæc imago est animæ exultantis in hac spe: *ego amo Deum, & Deus me!* huic conforma te: ita non habebit Christus, cur fleat super te: tu autem habebis, unde confidas gaudere cum ipso.

DIS-

DISSERTATIO HISTORICA
de falſa devotione erga B. V. Mariam.

Sodalis ſum: devotus Mariæ ſum: igitur non peribo! hæc vana, ne dicam, ſcelerata fiducia multos avertit a conſtanti emendatione vitæ, quippe, quæ quia niſi quis vim ſibi facit, ſperari non poteſt, cito ex acedia deſeritur, & vertit ſe homo rurſus ad delicias falſas, hac ſpe ſe conſolans, ope B. V. quam utcunque colit, ſe tamen fruiturum æternis. Vanam ſpem damnat hiſtoria ex Lyreo.

§. I.
Falſa perſuaſio.

Fuit Toleti juvenis nobilis, quem poſt mortem parentum conſanguinea domi ſuæ alens in multa flagitia pertraxit. Devotus erat B. V. quam quotidie variis modis colebat. Virgo clientis cultum remuneratura imminentem poſt 30 dies mortem revelavit moniali ſanctitate morum percelebri, juſſitque juvenis confeſſarium de vicino interitu admonere. Magna gratia, ſed ex qua apparet communis perſuaſionis falſitas,

 quod

quod putent plerique, ſe a B. V. propter paucas preces felicem mortem certo impetraturos eſſe. Natatur hic duplex error, primus eſt *in intentione*, quod quidam *ideo* devoti Mariæ ſint, ut poſſint ſecurius indulgere licentiæ: unde devotio illos non avertit, ſed firmat in ſcelere, atqui talis detio ipſa ſcelus, non virtus eſt, & pœnam meretur, non gratiam. Secundus eſt *in objecto ſpei*, quod per devotionem aliqui non ſolum gratiam ſperent, ſed ipſam gloriam. At ſcitote, o miſeri, quod gloria non ſit eleemoſyna, ſed merces: & hinc impetrare vobis B. V. gloriam non poſſit, ſed gratiam tantum, ex cujus uſu perveniatis ad gloriam. Quodſi gratiam impetravit, vos autem gratia nolueritis uti, an conqueri poteritis, quod B. V. colueritis fruſtra?

§. II.

Infelix deceptio.

Ingens gratia, & inſignis fructus devotionis noſtro juveni fuit, de mortis hora fuiſſe præmonitum: & uſus eſt, utinam fuiſſet conſtanter. Confeſſus novam vitam

tam incepit: adhibuit per aliquot dies remedia præſcripta, & nempe quærit *ſolitudinem*, & fugit *blanditias*: ſed uti conſuetudinarii raro repente fiunt ſancti, præcipue ſi in uſu mediorum *generoſi* non ſint: ita paulo poſt bis, ter, quater relapſus eſt. Attamen etiam poſt lapſum memor confeſſarii docentis: *ne relabaris, confitere ſæpe*, &, *ſi relaberis, confitere cito*: continuo ad ſacramentum recurrit. Verum ſæpius recurrenti cum confeſſarius inſtaret vehementius, ut remediis uteretur, homo *correctionis impatiens* confiteri ceſſavit, ſed peccare non ceſſavit, ſcilicet fidens ætati, & vaticinium de morte tanquam ſomnium mulierculæ ſpernens. Interea adeſt feralis dies, & ipſe in ſua devotione, quam hucusque exercuit quotidie diligenter, confidens cum ſanum ſe videret ac vegetum, in ipſa diei poſtrema nocte ſcelus repetiit. Nunc audaciæ inſanæ pœnam audite: occupatum in flagitio Deus, qui non irridetur, comprehendit: repente enim exæſtuans ſanguis ita hominem incendit, ut de ſtatu mentis dejectus, inter horrendos ejulatus hoc unum clamaret: *heu!*

ignito jaculo confoſſus morior! ſic periit, qui ſuæ ſalutis ſpem in falſa devotione conſtituit. Ut veram diſcas, ſit

MEDITATIO II.

de odio erga diabolum.

1. *Quid eſt odiſſe diabolum?* ℞. Politicus dicitur, qui ſic ſervit Deo, & non offendat diabolum: peſſime! nam de B. V. dicitur, inimicitias ponam inter te & mulierem, ſemen tuum & ſemen illius: adeoque niſi qui odit diabolum, de ſemine Mariæ non eſt, & aliam ut matrem habeat, neceſſe eſt, qui ludit cum ſerpente, quem virgo conterit. Odiſſe autem eſt malum velle, duplex malum, *contemptum & damnum.* Contemnit diabolum, qui tentanti non colloquitur, ut Eva, ſed repente obverſis humeris dicit: *nolo!* & adhuc magis, qui facit contrarium, ſic, ut e. g. cum tentatio allicit ad gulam, vel libidinem, ille *propter hoc ipſum* imperet ſibi abſtinentiam, aut faciat votum caſtitatis ſaltem *ad horam*, & ſic de aliis. Nocet autem diabolo, qui ſtudet deſtruere regnum ejus, hoc eſt, qui adeo ſtudet & laborat,

borat, ut vocationis ſuæ gratiam mereatur, aptumque ſe faciat, ut ſervire bono communi poſſit ad commodum animarum. Atque hoc eſt *ex ſpiritu Mariano* odiſſe diabolum, & illius exercitus partem conficere, de quo legimus, quod Virgo progrediatur terribilis, ut caſtrorum acies ordinata.

2. *Quid prodeſt odiſſe diabolum?* ℞. ad pacem, & gloriam prodeſt. Ad pacem, nam ſæpius contemptus diabolus, ut ſuperbus eſt ſpiritus, ita ceſſabit aggredi hominem, a quo expertus eſt ſemper ſe vinci, imo tentando nihil aliud lucrari, quam quod eum admoneat de exercitio virtutis contrariæ. Ad gloriam, nam ſi glorioſum eſt ex corporibus energumenorum expellere dæmonem, quid erit abigere ab animabus, & abigere per merum contemptum, uti David Goliathum proſtravit, & abigere cum fructu totius Eccleſiæ militantis, uti Michael cœlo expulit cum fructu Eccleſiæ triumphantis. Certe hanc gloriam appetiverunt, quotquot celebres ab amore Mariano fuerunt, & omnia ſæcula teſtantur, non alios magis nocuiſſe diabolo, quam filios

lios Mariæ, ſingulosque cœlum intraſſe non ſolitarios, ſed uti Chriſtus Mariæ primogenitus fecerat, captivam trahentes ſecum captivitatem.

Fructus. Age anima, vindica te! contempſit te diabolus, & nocuit: contemptu & damno vindica contemptum & damnum: abrenuntia, quod in baptismo feciſti, abrenuntia iterum, & dic teſte cœlo & terra: maledicte dæmon, hoſtis jurate Dei ac hominum, ego me tibi inimicum perpetuum hodie publica profeſſione declaro, firmiterque ſtatuo, ac propono, me tibi ſemper adverſaturum, neque unquam aliquid dicturum, aut facturum, aut permiſſurum, ut a meis ſubditis aliquid ad tuum beneplacitum unquam agatur: habebis me ſemper contrarium tibi, in actionibus omnibus, & præcipue in hora mortis. *Vade retro!* Dominum Deum meum adorabo, & illi ſoli ſerviam! ſi me cœlum adjuvet, & hæc Virgo terribilis, quæ ſerpentem contrivit, Virgo terribilis oret pro me.

Propoſitum particulare, pro gratia conſtantiæ in bono non ſolum orandi, quoties dici-

dicimus: ne nos inducas in tentationem! ſed etiam tempore tentationis ſtatim in principio fortiter repugnandi cum ſancta impatientia: vade retro ſatano, *nolo!*

CONCLUSIO EXERCITIORUM PER SUMTIONEM S. EVCHARISTIÆ.

BREVIS EXHORTATIO ANTE COMMUNIONEM.

Unus ex vobis diabolus eſt, ita Chriſtus de Juda, quia obſtinatum ad gratiam expertus fuerat, & mox, *quod facis*, *fac citius*, dixit, permittens hominem ſibi, nec jam ſceleri impedimentum poſiturus: verumtamen ſubdit: væ homini illi, bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet! En tria verba, ex quibus ambæ aures tibi tinniant, ſi duri cordis es, & a veritatibus ſacri Tridui nihil te moveri ſenſiſti. Uti apud medicos, ita apud Deum certi *dies critici* ſunt, in quibus ſi æger ſe melius non habet, de ſanitate deſperans. Fateor, deliberabam diu, num ſuſcipiendus ſit mihi hic labor ſacer: prævidebam, fore aliquos,

aliquos, qui exercitia per ſuam obſtinatio-
tionem eſſent infamaturi: tandem cogitabam: apud multos erit fructus, favente Deo, labori par: apud quos nullus erit, illi ſaltem hac occaſione ſeipſi prodent, & qui hactenus *ſpem ſuam poſuerunt mendacium* ac latebras, nunc ſeipſos propalabunt, quod ſint *incorrigibiles*, atque ita ab his quisq filiis purgabuntur ſcholæ noſtræ, qui fructus & ipſe eſt magnus. Igitur bene eſt, ſi unus ex vobis diabolus eſt, eja! quod facit, faciat citius, impleat menſuram, & ſceleribus cæteris, ſi audet, etiam hoc ſcelus (nam ſolent tales in peccando fieri audaces, ac inſatiabiles) adjungat, ſcelus inquam, ſacrilegæ communionis! ita Judæ per omnia ſimilis fiet. Sed væ illi, ſi hoc auſus fuerit, nam cujus facta imitatur, etiam exitum expectet: Judas cum accepit bucellam, *introivit in eum ſatanas, & exivit continuo* proditionis conſilium executurus, & paulo poſt *ſuſpenſus crepuit medius*: nunc ardet, & ejulat, *crucior!* ah! bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet. Nempe *Deus non irridetur*: o homo contumax, ſed qui ſiluit diu, & patiens

tiens fuit, tandem ut parturiens loquetur, & *irridebit* te, ac ſubſannabit; o ab hoc riſu terribili libera nos Domine! & libera eos, qui nondum conſtituerunt ſervire tibi cito, ſerio, & conſtanter. Pro his duris dum ſacerdos legit, vos orate: eſtote miſericordes, ut miſericordiam mereamini: orate, ne pereat ex nobis quisquam.

ALTERA SUB COMMUNIONE.

Oravimus: quod ſi nec oratio juvit, ut emollita ſint corda dura, ceſſamus: ecce curavimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam: ſaltem nolite accedere ad altare, o miſeri! & Chriſto parcite, ne cogatur cum diabolo ſimul in corde veſtro hoſpitari! Mariæ parcite, mavult filium inter lictores, quam cum anima ſcelere infecta videre! vobis parcite: S. hoſtia venenata eſt, foris canes, & impudici! panem Angelorum manducabit homo! *homini* dicit corpus Domini N. J. C. cuſtodiat animam tuam! *canis* ſi accedet, vertet verba cœlum, & dicet: corpus D. N. J. C. perdat animam tuam in mortem æternam.

Vos,

Vos, vos solæ accedite, quæ paratæ estis, o bonæ animæ, & resolutæ ad serviendum Deo cito, constanter, serio! vos venite ad nuptias: ecce sponsus venit: exite obviam ei: exite cum tota familia, cum omnibus sensibus & affectibus: submittite oculos ex pectore, levate manus ex desiderio, resolvite linguam in admirationem: *Ecce agnus Dei!* quem sacerdos suis digitis tenet, ecce, ecce videtur panis, & non est panis: nec est imago Dei, est Deushomo factus pro vobis: auditis verbum veritatis: *hoc est corpus meum! audio! credo!* confiteor, *tu es filius Dei vivi!* tu es! credo! adoro! *Ecce agnus Dei,* qui olim in leonem mutatus cum rugiet, quis non timebit? num tollit peccata mundi! ah! confiteor! peccavi nimis! *tollas peccata mea, spero,* quia doleo! *ecce agnus Dei!* agnus, qui sic dilexit te, ut se immolaverit pro te sacrificium Deo! o amor. Et tam amabilem ego non amem? amo ex toto corde: & si mille corda haberem, mille cordibus te amarem. O veni Domine Jesu, & *posside me!* Quanquam huc! quis ego sum, ut te invitem ad

me!

me? Domine, non ſum dignus! confiteor! *ſed dic verbo*, quo dixiſti: fiat cœlum & terra! verbo, quo Lazarum evocaſti de tumulo! verbo, quo vocabis ſtantes a dextris tuis: & fiat mihi ſecundum verbum tuum: ſanabitur anima mea: vivam ego jam non ego, tu vives in me, tu in oculis meis, tu in lingua mea, tu in corde: ergo veni, poſſide me! venio! veni!

TERTIA POST COMMUNIONEM.

Hoſpiti Deo evchariſtico non dubito, quin gratias primum pro gratia ſuæ viſitationis egeritis, dicentes: Jeſu, qui es intra me, ſanctificetur nomen tuum a me, per me, in me! deinde nonne obtuliſtis ei vos & omnia veſtra? dixiſtis: adveniat regnum tuum: dominare intra me ſolus: fiat voluntas tua *a me*, & *de me*, & prout diſpoſueris ſit benedictum nomen tuum! ſuſcipe quinque propoſita hujus Tridui: fugiam otium, gulam, luſum, linguæ licentiam, & ruſticitatem: ſerviam tibi cito, ſerio, conſtanter: denique libellum ſupplicem perrexeritis, & familiari cum fiducia narra-

veritis cum ſororibus Lazari: *ecce, quem amas, infirmatur!* deeſt corpori panis, ſanitas &c. da panem, ſanitatem! deeſt animæ tranquillitas conſcientiæ, dimitte: dic ei: *vade in pace!* deeſt robur in tentationibus, & patientia in malis: ne inducas, ſed libera! - - hæc vel ſimilia volveritis animo, & bene. Qui venire ad vos dignatus eſt, non venerit vacuus: is: ſi una communio ſufficit, quod PP. docent, ut homo ſanctus fiat, certe hodierna ſufficit: hodie diſcedetis ab iſta menſa velut leones ignem ſpirantes diabolo terribiles. Adeſte angeli, congratulamini Domino, quia non unam hodie, ſed centum & plures oviculas invenit, & retulit: gaudium ſit in cœlo hodie, ſed non ſit hodiernum: perpetuum vos facietis, ſi, quæ a vobis nunc cœlum & terra exſpectant, ſedulo: obſervetis.

Quid autem exſpectant? ℟. Cœlum, quod cor intuetur, exſpectat reformationem *hominis interni*, hoc eſt, aliam *memoriam*, alium *intellectum*, alias *affectiones*, terra exſpectat reformationem *hominis externi*, id eſt, compoſitionem *linguæ* & *morum* ad alias leges

ges exactam, quam quas magister *abusus* aut turpis consuetudo præscripsit. Satisfacietis autem exspectationi amborum, si paulatim assueveritis *methodo vitæ*, quam in folio patente singulis distribui. Ex *adverbiis* ibi expositis quotidie formate vespertinum examen, ita facile imprimetis memoriæ vivendi normam, & in quos defectus *pronior* sit vestra indoles, dignoscetis. Est autem primus bonæ spei gradus, ægrum *se fateri* alter, *sanari velle*, tertius, consilium & medicinam admittere, non quam ipse velis, sed quam vir prudens præscribit, etiam difficilem, & qualem natura nauseat. Sic animo comparati finem loquendi, pariter omnes audiamus ex Ecclesiast. c. 12. *Deum time*, Deum toties a te cito, serio, constanter: in uno ex his adverbiis defecerunt, quotquot in judicio condemnati jam ardent in inferno. Time. Observa: *hoc est enim omnis homo*, & sine hoc, etsi nobilis, dives, doctus, potens, sanus sit, miser, stupidus, pauper, vilis, nihil est omnis homo, quia solus timor Dei beatum faciet, cætera omnia in nihilum concident. Ergo repeto:

Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo, hoc eſt eſſe hominem vere, & ſine hoc, etiam qui ſupra homines ſe eſſe putat, non eſt homo: pecus, pecus, pecus eſt, nec habet, quam ſperet, beatitudinem aliam, quam qualis eſt pecudis, dormire, vorare, ſalire, petulcire, perire.

Nunc accedite & accipite ſinguli imaginem Matris veſtræ doloroſæ attactu ſacram: ſubſcripſi ſententiam mea manu, quam quisque per ſortem acceperit, tanquam a divina providentia ſibi deſtinatam veneretur, in libello precatorio ſervet ad memoriam, ſæpe oſculatur, & ad illud monitum ſuos mores examinet. Hæc induſtria ſervit æternitati.

APPEN-

APPENDIX
DE
NEGOTIO DELIBERATIONIS.

§. I.
Principia generalia.

1. Vocatio divina, uti in hoc negotio accipitur, non eſt præceptum, ſed *conſilium*, ſive invitatio ad certum ſtatum, ſub ſpe ſalutis *facilius, certius, perfectius* obtinendæ.

2. Talis invitatio datur: nam, quia ſtatuum diverſitas eſt divinæ providentiæ opus: ejusdem erit etiam providere de mediis, ne deſint idonei homines ſtatibus operam utilem navaturi.

3. Eadem invitatio non fit omnibus: nam aliqui a natura deſtinantur ad certum ſtatum, aut ab educatione, aut etiam per præceptum. Sic homo a natura deſtitutus viribus vel corporis, vel animi, non poteſt deliberare de ſtatu ad boni communis curam deſtinato, ſed ab *auctore naturæ* per hos ipſos defectus vocatus eſt ad vitam priva-

 tam,

tam, qui autem annos pueritiæ, & adolescentiam exegit in opificio, vel agricultura, per *educationem* ſic a Deo permiſſam intelligit fere ordinarie aut ut plurimum nolle Deum, ut cogitet de ſacerdotio, aut officio magiſtratus: & qui natus eſt princeps, ſaltem cum fratres non habet, & cum ex abdicatione principatus ſecutura eſſent gravia reipublicæ mala, *præcepto* legis naturæ tenetur, principis officium ſuſcipere & qui pauperes habet parentes, quos nemo poteſt alere, niſi filius, præcepto divino a religioſis inſtitutis arcetur. Unde vocationis nomine poteſt interdum etiam conſtitutio corporis, educatio, paupertas, nobilitas, lex naturæ appellari: & in tali caſu vocatio non eſt invitatio, ſed *deſtinatio*.

4. Invitatio iſta conſiſtit in *ſtimulo interno*, quo quis ſe ſentit *allici* ad certum ſtatum, ſive ab eo appetitus ſenſualis (quod ſæpe fit) abhorreat, ſive non.

5. Hujus ſtimuli origo poteſt eſſe a dæmone, a mundo, a carne, a natura, a caſu, a paſſione, a Deo.

6. Utrum *a Deo* ſit, raro poteſt *evidenter* cognoſci, quia Deus contentus eſt *ordinarie*, ſi non agamus temere, aut ex impetu, ſed prudenter, & ex ratione ſaltem vere gravi.

7. Unde ſimpliciter *male* eligit ſtatum, qui ſine deliberatione irruit in obvium, cum ſit aptus ad plures: ſimpliciter autem *bene* eligit, qui ſequitur ſtimulum, quem *probabiliter* a Deo eſſe exiſtimat.

8. Gravis ratio, quod ſtimulus ſit a Deo, non eſt hæc ſola, quod ſtatus, ad quem impellit, non ſit noxius ſaluti per ſe, imo *ſimpliciter* melior, & perfectior oppoſito: ſed quod ſit ipſi deliberanti *melior*, hoc eſt utilior, ad ſalutem facilius, certius, perfectius obtinendam: nam quia Deus certum ſtatum non præcipit, ſed conſulit, evidens eſt, quod nunquam impellat, niſi ad *meliorem*. Atque ex hac regula cognoſcenda eſt vocationis origo.

9. Siquis ex gravibus argumentis exiſtimans certum ſtatum *ſibi* eſſe meliorem ad ſalutem præ aliis, eum eligit, etiamſi erraret, errabit ſine damno, quia prudenter

egit, quantum erat in ſe. Qui vero *contra ſtimulum* agit, non committit peccatum quidem, quia non agit contra præceptum, ſed contra conſilium. Sed ſubit tamen grave periculum ſalutis, quia licet in omni ſtatu ſalvari poſſis, tamen non in omni ſtatu ſalvaberis, ſed in illa via, ad quam Deus vocabit.

10. Ex gravi autem ratione, & proin *ſine metu*, quia prudenter eligit ſtatum, qui eligit poſt maturam deliberationem factam cum Deo, cum animo ſuo, & cum viro prudente. Plus ſane, quam hæc tria, Deus ab homine non poteſt exigere.

§. II.

Actus electionis.

1. *Deliberatio cum Deo* fit per orationem *indifferentem* ad omnes ſtatus, edicendo cum Paulo: *Domine, quid me vis facere?*

2. *Deliberatio cum animo ſuo* fit expendendo, an non putet fore, ut morientem olim ſuæ electionis pœnitet. O mors, bonum eſt judicium, bonum conſilium tuum. Item, quid humeri, quid ferre recuſent,

ſive an' ſtatui ſis futurus utilis ſpectando vires corporis, & talenta animi: nam ut ſis inutilis, certum eſt, Deum non velle.

3. *Deliberatio cum viro prudente* ſit explorando originem, & finem electionis. Si origo ſola eſt vitioſa, aut vana, hoc eſt, ſi inclinatio jam ad certum ſtatum nata eſt ex ſuperbia, avaritia, acedia, deſperatione, timore humano, *modo finis ſit melior*, non eſt electio putanda mala; ſi autem etiam finis eſt malus, aut vanus, certum eſt, quod inclinatio non ſit a Deo. Si vero & origo & finis aliquid cœleſte ſapiunt, ſecure approbatur a directore, modo non ſit *prudens* ſuſpicio, ne cliens fallatur *ſub ſpecie boni*, & in hoc eſt punctum totius difficultatis pro diſcernenda vocatione vera, & falſa. Sed *prudenter* fiet reſolutio, ſi modo hæc tria certa ſint: 1. quod juvenis ad ſtatum quem cupit, pervenire ſuo tempore poſſit, ſeu, quod non adſit impedimentum, cujus tollendi deſit ſpes. 2. quod ad eum ſit aptus, & ex gravi ratione videatur futurus utilis. 3. quod ad eum aſpiret ſic, ut ejusdem obligationes quoque, & non ſola commoda

 cupiam

cupiam suscipere, pericula prævideat, & ad usum mediorum etsi difficilium se resolvat.

4. Sunt autem obligationes cuivis statui propriæ illæ, quæ præter Decalogum ex *officio* sequuntur, cui quis vi status se debet impendere, vel *ex legibus*, in quas quis debet jurare.

5. Pericula vero oriuntur alia ex indole, & temperamento, quia non quodlibet congruit cuilibet statui: alia ex educatione aut consuetudine, nam vitia, quibus assuevisti, sæpe status non auferet, sed alet: alia ex occasionibus, quibus ipsius status ratio hominem exponit.

6. Remedia, an efficacia futura sint, juvat experiri per usum, antequam statum ipsum susceperis.

Hæc omnia, qui serio expendit, & sic *prudenter* concludit, *sibi* ad salutem a Deo destinari hunc statum præ alio, securus est coram Deo, quia pro statu sentit se inclinari, & prudenter sentit a Deo hunc motum esse ob graves rationes.

§. III.

Executio electionis.

1. Qui sentit inclinationem ad unum statum *majorem* quam ad quemvis alium, & simul ex gravibus motivis judicat, etiam adstipulante suo directori, hanc inclinationem esse a Deo: non differat deliberationem concludere per S. Communionem, Deoque se ad illius status obligationes, labores & molestias toto corde offerre, & rogare pro gratiis statui necessariis.

2. Decretum *sic Deo oblatum* non facile mutet, nisi mutationis novæ ut graves sint causæ. Nam licet prima inclinatio, & stimulus ad statum electum forte cesset, non tamen inde sequitur, quod prima vocatio non fuerit vera vocatio: nam vocatio est gratia transiens, quæ sæpe ex nostra culpa cessat urgere, quia negligitur, sæpe sine nostra culpa desinit sentiri ad probationem constantiæ.

3. Statim incipiat cogitare de removendis impedimentis status consecutioni obstantibus, & de adhibendis humanis ac divinis mediis ad eum finem utilibus.

4. Do-

4. Donec tempus executionis advenerit, sic mores componat, ut non mereatur gratia vocationis privari, sed conciliet sibi Deum, qui deinde mentes hominum, qui obstare, vel juvare possunt, sic inclinabit, cooperentur. Singulariter fugiat vitia statui magis noxia, exerceat virtutes statui magis proprias, legat, agat, discat artes, quibus statui se magis utilem reddat.

5. Cum aderit tempus, statum electum suscipiendi, non sinat se a proposito averti etiam a parentibus, nec differat de die in diem, sed alacriter Deo rursum se offerat, & si fieri potest, per Exercitia triduana se præparet, quidque statum aggressus velit pro anima sua præstare *quotidie*, quid *singulis hebdomadis*, quid *quovis mense* & quid *singulis annis*, prudenter decernat. Sic agentem excipiet de cœlo lucrum, & de terra deorsum, benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus S. & manebit semper.

METHODUS VITÆ CHRISTIANO-MARIANÆ

EX LEGIBUS SODALIUM FORMATA,

ET

USUI QUOTIDIANO ACCOMMODATA

PRO

OMNI ÆTATE, CONDITIONE, ET STATU.

I.

HORA STATUTA SURGE CONSTANTER, CELERITER, DEVOTE.

CONSTANTER, ſine excuſatione. Modicæ victoriæ non modicam laudem a continuatione merentur. *Habitum pariunt*, & faciunt, ut aſſueſcas eſſe *domi-*

dominus tui. Qui obviam excuſationem admittit pro legitima, & protrahit ſomnum, quia frigus eſt, quia minus placide dormivit, quia adhuc grave eſt caput, neſcit, quod corpus ſit ſervus piger, qui libenter mentitur, & cui qui credit, levis eſt corde, atque illorum de numero, de quibus Eccl. 27. dicitur: *Stultus ut luna mutatur!* qui ſapit, ſicut *vultum*, ita nec *morem* mutat, niſi cum *ratio* poſcit.

CELERITER, ſine mora. Somnus mortis eſt frater: a morte qui reſuſcitatur, num *deliberat*, an prodeundum e tumulo ſit ſtatim? imo cum clanget tuba: *Surgite mortui!* reprobi quidem lente movebunt ſe: electi vero alacriter proſilient de ſepulchris, ut videas, quos imiteris, ſi piger es ad laborem. Age, quod egit Adam, cum Deus in luteum hominem inſpiravit ſpiraculum vitæ: quid? cum ex nihilo ſuo quaſi evigilavit, non *ſine mora* in genua procidit, ut ſuo Plaſti ſuam vitam ſacraret? Ita tu, cum excitaris a ſomno, *ferventer* diem incipe, quaſi primus: *caute* age, quaſi vitæ poſtremus foret.

DEVO-

DEVOTE cum piis ſuſpiriis *inter pauſas*, ſicut aviculæ canunt: primitias Deus exigit ſibi, offer. En! modum ſuggero brevem, & in quo oratio vocalis mentali *miſcetur*, quod orationis genus ut familiare ſit, ſaltem literatis, ſumme optandum eſt. Itaque *cum ſurgis*, formata cruce, dic: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo!* ad te! ad mandata! ad beneplacitum tuum! . . *Cum veſtiris*, dic: Indue me, Domine, *veſte nuptiali*, & compareat anima mea coram te *in veſtitu deaurato*, circumdata varietate virtutum! . . . *Cum lavaris*, dic: *Amplius lava me, Domine, amplius munda me*, ut placeam tibi! . . . *Cum ſpeculum inſpicis*, dic: *Quid ſuperbis terra & cinis?* Omnia vanitas, præter amare Deum, & illi ſoli ſervire! . . . Sequuntur flexis genibus *preces matutinæ*, quarum formulam brevem ſubjungo, & expendi mallem, quam recitari: hoc enim Dominus vult, cum monet Matth. 6: *Orantes, nolite multum loqui*, ſed nempe plus cogitare, quia oves ruminando, ſive quaſi *reflexe* comedendo pingueſcunt. Ecce exemplar, quod imitari in precibus aliis non erit difficile.

Preces

Preces matutinæ ad DEUM. PATER DE COELIS DEUS, *ſanctificetur nomen tuum! iterum indulſiſti quietem bonam ſervo tuo: ſemper laus tua erit in ore meo! O adveniat regnum tuum mihi! ibi quiete vera, quiete æterna fruar! - - - Sed non poſtulo ante tempus: tu me hodie a quiete revocas ad laborem, ad ærumnas, ad crucem, bene habet: fiat voluntas tua ſicut in cœlo* DE ME, *ita in terra* A ME! *fiat! perfecte fiat!* - - - FILI REDEMPTOR MUNDI DEUS, *panem meum quotidianum da mihi hodie, panem, quo vires, & robur corporis ac animæ alam, ut alacrius ſerviam! - - - & dimitte mihi debita mea, debita culpæ & pœnæ plurima, ſicut & ego dimitto debitoribus meis, & dimitto amore tui!* - - - SPIRITUS SANCTE DEUS, *ne me inducas in tentationem! ecce in peccatis concepit me mater mea: Cain, Pharao, Judas ero, ſi tu me deſeras! - - - Libera me a malo, quod* UNUM *eſt malum: a peccato, &, quod* SUMMUM *eſt malum, a morte in peccato! Amen.*

Ad Deiparam dices: SUB TUUM PRÆSIDIUM *confugio ſancta* DEI *Genitrix! - - - Domina! - - - Patrona! - - - Advocata! - - tuo Filio reconcilia peccatorem confitentem! - - -*

tuo

tuo Filio commenda pœnitentem! - - - tuo Filio repræsenta moriturum, ut dignus fiam promissionibus Christi! Amen.

Ad Angelum Custodem: ANGELE SANCTE DEI, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hac die illumina in dubiis! - - custodi in periculis: - - - rege & guberna in negotiis! Amen.

Ad Sanctos: OMNES SANCTI, & *SANCTÆ DEI intercedite pro me, ut vestra exempla imitari in terris, & similem gloriam mereri in cœlis, tota virtute contendam.*

Ad Crucifixum cum osculo pio: O JESU! *quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus: tantus labor non sit cassus!* - - Profecto quibus tam brevis devotio nimis longa videtur, unde sibi de spiritu Christiano-Mariano blandiri possint, non video.

II.

MISSAM LEGE VEL AUDI REVERENTER, ATTENTE.

REVERENTER, nempe quia sancta sancte agenda sunt. Compone te ad Christi Domini in horto se Patri sacrifican-

tis exemplum: intuere! ah! ſic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat, ut orantis modeſtia exterior devotionem animi & *ſignificaret*, & *adjuvaret.* Similem a te FIDES poſtulat, & PROFESSIO FIDEI: væ! ſi Cain malis, quam Abel eſſe!

ATTENTE, volo dicere *cum reflexione* ſaltem ad quinas partes, ut per interjecta pia ſuſpiria mentis effuſio coerceatur, & phantaſiæ licentia ſæpius revocata in viam, paulatim fræno aſſueſcat. AD CONFITEOR dic cum Publicano: *Deus, optime Deus, propitius eſto mihi peccatori, confitenti tibi in oculis cœli & terræ! . . . dolenti propter te! . . . deprecanti per omnes Sanctos!* . . . AD OFFERTORIUM impone patenæ cor, & dic cum Davide: *Deus, cor contritum dolore ſerio, & humiliatum pudore maximo ne deſpicias!* . . . AD UTRAMQUE ELEVATIONEM valeat confeſſio Apoſtoli: *Tu es Chriſtus Filius DEI vivi! credo Domine! adjuva incredulitatem meam!* . . . Ac deinde: *Sit ſanguis tuus, obſecro, ſuper me in ſalutem, & cum veneris judicare, noli me condemnare!* . . . AD PATER NOSTER *ſeptem dona Spiritus*

ſancti

ſancti pete, aut per ſynopſin cum regio Propheta orans, dic: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova! Spiritum ſanctum ne auferas! Spiritu principali confirma me!* . . . AD SUMPTIONEM dic avide: *Veni Domine JESU! ingredere in hanc animam! poſſide me! quantus ſum, tuus ſum: tuus æternum ſim!* . . . Facillima praxis eſt, & quæ preces vocales, quibus plerique ſub Miſſa vacant, nihil turbat, ſed perficit! utere! ita benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendet ſuper te, & ſuper negotia tua, & ſuper familiam tuam, & manebit ſemper.

III.
ORA
QUIETE, CUNCTANTER.

QUIETE, hoc eſt, *in loco*, in quo nihil mentem turbat, aut diſtrahit, & *in tempore*, quo nihil urget, ut feſtines. *Turba hominum*, & *turba negotiorum* ſic orationem inficiunt, & carpunt, uti muſcæ dulciaria. Experiuntur, qui ſive coronam Marianam, ſive Horas canonicas ad noctem differunt,

aut ſub dio recitant: labia muſſitant laudem Dei, cor illis *in lecto*, iſtis *ubique* eſt: utrique ferunt onus ſine commodo, & ex labore pœnam merentur forte ſæpius, quam præmium.

CUNCTANTER. Qui orat, negotium *grave* tractat: tractet *graviter* etiam. Fluvius, quamdiu intra limites alvei conſtrictus placide fluit, limpidas aquas trahit, cum evagatur factus *rapidior*, limum & ſordes colligit. Juvat horarum pſalmos, aut roſarii decades interpolare ſuſpiriis, per quæ animus revocetur in ſe, ſi exerravit, aut iterum incaleſcat, ſi friguit. Oratio *elevatio* eſt: quem carnis pondus depreſſit, reſumpto ſpiritu rurſum evolet, ut decerpere ramum olivæ poſſit, qui orationis eſt fructus. Sunt, qui poſt quamvis decadem renovato fervore dicunt: *Domine, da mihi ſpiritum devotionis!* bona eſt praxis, & ad hunc modum variari ſuſpiria poterunt. Sed tibi non placet hæc induſtria, quia feſtinas, & gaudes, ſi conſuetas preces cito abſolveris, tanquam inutili, ac moleſto labore defunctus. Vah! error pernicioſus! corrige

rige judicium, bone vir, & pluris æſtima orationis negotium: non aliter melius omnibus cæteris negotiis conſules: nec datur induſtria, quæ certius orationem, quam ipſius orationis æſtimatio perficit.

IV.

EXERCE DEVOTIONES LIBERAS BREVITER, SUAVITER.

BREVITER: nam ſi longæ, aut multæ ſunt, uti illorum, qui pluribus Confraternitatibus dederunt nomen, vel miſere exequeris, vel cito omittes. Non intereſt, quantum facias, ſed ex quanto affectu: unus aureus multis denariis æquivalet. Exiguis etiam devotionibus pretium *fervor* facit, & *conſtantia*, ſicut adamanti fulgor, atque durities.

SUAVITER, id eſt, libere, & ſine triſti neceſſitate, ita ut ſcrupulum non moveas tibi, ſi vel mutes, cum ſuadetur devotio melior: vel ſi omiſeris, cum juſta eſt cauſa. Nemo ſit ſuum mancipium: ſicut prudentis eſt, non *temere* mutare conſilia, ita cum tempora mutantur, & circumſtan-

tiæ, mutari nolle, non eſt hominis, ſed ſtatuæ. Examinari omnis novitas debet, damnari non debet.

V.

UTERE PRECIBUS JACULATORIIS SÆPE, SINCERE.

SÆPE, & ſaltem ſemel omni hora, *ora.* Quod reſpiratio eſt corpori, hoc oratio animæ: refrigerat. *Symbolum Apoſtolorum* exhibet pharetram, unde depromas ſpicula, quæ nubes, & ipſum cor Dei penetrent. Menſam accedis, *primus articulus* monet, ut dicas: *Credo in Deum Patrem: a te, Pater, omne bonum eſt mihi! ah! ut nunquam abutar male, benedic, Pater, me, & hæc tua dona, quæ de tua largitate ſumpturus ſum!* . . . Cum occurris amico, *ex ſecundo articulo excita te*, & *illum* ad Chriſti laudem, dic corde & ore: *Laudetur JEſus Chriſtus*, quia *Filius Dei unicus* eſt, nec habet parem: quia *Dominus noſter* eſt, Dominus, quo melior non poteſt optari! - - *Articulus tertius* uſui erit ad Salutationem angelicam ter repetendam in die, eo fine, ut recolatur memoria incar-

nationis

nationis dominicæ effectæ a Spiritu S. in Maria Virgine, cui proinde gratulamur, quod facta ſit *Filia* Dei Patris, *Mater* Dei Filii, *Sponſa* Spiritus ſancti, rogamusque veſperi, ut peccatoribus *luna* ſit, ne a fide deficiant: mane, ut pœnitentibus *aurora* ſit, a qua ſpes foveatur: ſub meridiem, ut perfectis *ſol* ſit, qui charitatem accendat. . . . *Articulus quartus* pertinet ad tempus adverſitatis, ac ærumnarum, cum animus ad impatientiam, & murmura concitatur: tunc oculis in JEſum paſſum ſub Pontio Pilato conjectis cogitabis: *Quis JEſus, & ego? Quid JEſus, & ego? Cur JEſus, & ego patimur?* Infinita diſparitas pudorem, pudor patientiam pariet. *Articuli quinti* memoria triſtanti ſolatium feret. Dices: *Credo, quod Redemptor meus deſcenderit ad inferos: ſed & tertia die reſurrexit a mortuis: nullum in terris malum æternum erit.* . . Cum cœlum aſpicis, cogita: eja! huc *aſcendit Dominus meus* (quod *ſextus articulus* docet) *bic ſedet ad dexteram Patris! o ut merear aliquando tam beato aſpectu frui!* . . In rebus dubiis conſilium ex *articulo ſeptimo* petes, & ex te quæres: *Cum venturus*

turus eſt Dominus judicare, utrum ex duobus decreviſſe conſiderabo? Crede mihi, ex hac regula nihil ſtatues inſipienter. . . . *Credo in Spiritum ſanctum!* ita *articulo octavo* profitemur, & proderit actus tempore *tentationis internæ*, cum ſive cupiditas, ſive timor ad peccatum allectat! . . *Articulus nonus* firmat animum *contra tentationes externas*, *QUÆ* a verbis aut exemplis infeſtant: *Credo ſanctam Eccleſiam, & Sanctorum communionem! nolo immiſcere me reprobis!* . . In anguſtiis conſcientiæ *decimus* ſolabitur: *Credo remiſſionem peccatorum!* . . In doloribus corporis *undecimus* ſuſtentabit: *Credo carnis reſurrectionem!* . . . In proſperitate fortunæ *duodecimus* ab amore vanitatum abſtrahet: *Credo vitam æternam! cætera nihil proſunt!* . . Ita Symbolum tibi pro penario, pro armamentario, pro pharmacopolio erit.

SINCERE, puta *de corde*, non *ex ore*. Si bene orare vis, *ama*, & ama *per omnes* modos: dic *per indicativum:* Amo te Deus mi ex toto corde, ah! quam ſero! - - - Dic *per imperativum:* Ama anima mea, ama amabilem Deum, etiam cum ferit, ama! . .

Dic

Dic *per optativum:* Utinam amavissem te semper, Deus mi! pereat hora, qua non amavi! . . . Dic *per conjunctivum:* Da, ut amem te amplius, o Deus amoris, ut amem amplius! . . . Dic *per infinitivum:* Cupio sine fine amare, sine fine, sine fine! . . Certe nemo citius *declinat* a malo, quam qui sic actiones suas *conjugare* didicit cum amore. Amor est igni similis: ut ab urticis & sentibus per sarculos purgetur ager, quanto tempore, & labore est opus! ignem adhibe: hora sufficit.

VI.
CONVERSARE AMICE, CAUTE.

AMICE: nec facile offendere decet, nec offendi. Efferi Ismaelis hoc crimen fuit, extend sse manus suas contra omnes, & irritasse manus omnium contra se. Ne pacem turbes, aut rixas cieas, ad multa *cæcus, surdus, & mutus* esto. Sint tuæ visitationes *raræ*, ne vilescas: & *breves*, ne sis molestus. Necessitas, charitas, urbanitas pro regula serviant: sinceritas & affabilitas comitentur. Omne tulit punctum, qui

in conversatione non solum *ut placeat*, sed etiam *ut prosit*, curat.

CAUTE: Neque inter meros Angelos, neque inter meros diabolos, sed inter homines vivis: itaque nec omnibus, nec nulli fide: nec omnia, nec nihil crede: nec omnia, nec nihil lauda, quia nec nunquam, nec semper falleris. *Vide, cui fidas*, prudentiæ dictamen est, quæ charitati non adversatur. Ex fructibus cognosces, qui sint ex *Caini*, qui ex *Sethi* familia: si quis de religione sarcastice, pro morum licentia impudenter, adversus omne genus hominum dicaciter, irreverenter, contemptim loquitur, *hic niger est*: loquela illum sua manifestum facit. Fuge canem, cujus rabiem rictus cruentus prodit.

VII.
COMEDE
MEDICE, MODICE, MODESTE.

MEDICE, sic, ut a noxiis cibis, vel potu fortiter tibi temperes. Etiam dulce venenum venenum est: subter te sit appetitus tuus, non tu sub illo. Sapienter

Cal-

Callisthenes, cum urgeretur, ut in Alexandri sanitatem vinum fortius copiosius biberet, respondit: *Nolo bibere pro Alexandro sic, ut opus habeam Æsculapio.* Ita obstruendum est os gulæ, exigenti, quod nocet.

MODICE, sic, ut semper surgas a mensa *cum aliqua fame.* Qui credit, male se pransum esse, nisi turgeat venter, non se alit, sed morbos, eousque & mentis, & corporis. Certe oraculum divinum est testis, quod plures occiderit gula, quam gladius. Itaque in cœmeteriis sepulchra pleraque sunt *sepulchra concupiscentiæ*, plurimisque inscribi commune epitaphium posset: *Propter potum nimium rui in hunc tumulum.*

MODESTE, sic, ut in modo teneas modum. *Delibare* ac *sorbillare*, pocillatores & coquos decet: *haurire*, pecudum est: *glutire*, canum semper alteri bolo inhiantium: homo bene educatus *festinat lente*, & medium tenet. In conviviis præcipue periclitatur modestia modo a crapula, modo a licentia oris: & quos alias hostes divisos habet hæc virtus, in epulis conveniunt vinum, venus, ira: rarissime inter hospites JEsus &

Maria honeste sederent, ut olim in Cana Galilææ. Sed causa turbarum *turba* est: propterea ex Prudentum sententia *numerus* hospitum, sicut minor esse non debet, quam GRATIARUM: ita nunquam major sit, quam MUSARUM.

VIII.
RECREA TE
HONESTE, HUMILITER, HILARITER.

HONESTE. Apage illa recreationum genera, ex quibus animæ periculum imminet: sit selectio in sociis, in modo, in loco. Quod *locum* attinet, semper fuge *angulos*, & *Angelum* time. Quod *socios* spectat, nunquam commisce te furfuri, porcos provocas. *Modum* a simili habe: recreatio *pro medicina* sit tibi: utere, sed raro, sed parce, sed pene nauseans. Non ut ludas, vivis, sed ut vivas, ludis: igitur cave, *ne quid nimis*. Si ludere non est malum, malum tamen est nimis *affici* ludo: a seriis ad nugas *iste affectus* trahit, & homo *raro serius* quid est, nisi *raro sobrius*? ut quid terram occupat?

HUMA-

HUMANITER: nam homo homini reverentiam debet, quam ne proculcent aut *familiaritas*, aut *ſuperbia*, cave. FAMILIARITAS *cum eodem ſexu* parit contemptum, *cum diverſo* periculum. Nimirum & terra & aqua ſunt bonæ res: ſed ſi commiſces, fit lutum. Hic effectus eſt nimiæ familiaritatis: pudor cuſtos virtutis perit: licentia turpitudini portam aperit. In alterum extremum diſcedit SUPERBIA, ex affectata gravitate omnibus gravis. *Affabilitas* eſt virtus nobilium, qua ſi cares, fruſtra ſanguinem antiquum jactas: riſum & odium feres, ut pulex, qui ſi glorietur, quod ex ſanguine viri illuſtris natus ſit, quis patienter ſtultitiam tolerat? Sis nobilis pulex, ajunt, nunquid propterea minus es pulex, hoc eſt (ſi præter ſanguinem nihil habes, unde te laudes) animal mundo ſuperfluum, & vexandis melioribus animalibus natum?

HILARITER: eſt enim tempus flendi, & tempus ridendi, modo non deſit *modus*. Sunt, quibus nulla hilaritas ſatisfaciat, niſi quæ cum offenſa Dei conjuncta eſt: Superi! quam eſt hæc impia perſuaſio! aciem

ingenii exercere in jocis obſcœnis, hæc digna riſu materia ſit? væ! qui ſic ridetis! Flebitis enim, quia Deus noſter nunquam irridetur impune. Sunt, quibus ſine injuriis proximi nulla converſatio jucunda putatur: proſcindere famam abſentium, præſentes ſubſannare, cachinnis exponere, concitare ad iram, artificium credunt, cui omne amphitheatrum applaudere debeat. Falluntur! veniet enim tempus; cum, qui riſerunt alios, riſui dæmonibus erunt. Sunt denique, qui ipſum animæ ſuæ periculum inter recreationes numerant. Non placet liber, niſi de amoribus tractet: non comœdia, niſi ſcurrilis: non ludus, niſi cum rixis: non compotatio, niſi cum crapula: non choreæ, niſi cum petulantia: Vah! homines, quos melius inter ſemi-feras Satyros, & ſylveſtres Faunos recenſeas.

IX.

STUDE, AUT LABORA.

ALACRITER, ORDINATE, SERIO.

ALACRITER, tanquam ſi vox exigentis laborem de cœlo allaberetur. Quod

hominí

homini facis, coactus & tristis facis: tu cogita te *Deo* servire, aut homini *propter Deum*, mox omnis labor *jucundus* erit, quia *devotus* erit, sive deinde manuum sit, sive pedum, sive capitis. *Dico ego opera mea Regi*, rex Psaltes canit, ita: non rustico, non civi, non equiti, non principi mortali, sed Regi regum, cœli Domino laboro, qui spectator, adjutor, remunerator laboris est. Ah! nemo *alacrius* applicat *manus* operi, quam qui sic *oculos* in cœlo figit.

ORDINATE, ita ut suum tempus habeant *necessarii labores* primum, *libere suscepti* deinde. Sic agens, non, *quod placet*, agit, sed *quod decet*, & *juvat* agi. *Ordo* est *via regia*, per quam ad terminum itur *sine ambagibus*. Assiduus esto, ut te diabolus semper inveniat occupatum, laudo: nam *qui sectatur otium, stultissimus est*, Prov. 12. sed inveniat occupatum *discrete*, non inutiliter, non in laboribus alienis a conditione, & statu, non sine ordine. Qui *malum* agunt, & qui *nihil* agunt, & qui *aliud*, quam deberent, agunt, omnes tempus *male* perdunt: qui *pejus*, non raro problema erit: ubi nullus ordo, ibi horror.

SERIO,

SERIO, non obiter, non ad ſpeciem. Ovem ſcabie infectam Deo, cui laboras, offeres? applica, quas habes vires, quasque exigit labor ſive corporis, ſive animi, ne *ſervi pigri* ſententia feriat te. Sed quid? ſi laborum copia pene obruat virum? nempe negotia tua *in ordinem* redigas primum, ut cuique ſuum ſit tempus congruum: deinde ſi hoc conſilium res aut vires non admittant, ſuadeo, ut onera ex Moyſis exemplo cum aliis dividas: non potes unus omnia facere, niſi velis nihil facere. Tandem ſi non ſint, qui te juvent, ipſe juva, & RES OFFICII quidem age *cum excellentia*, res alias autem *obiter*, ac *per otium*. Ita cœlo & terræ facies ſatis.

X.
BENEFAC PROXIMO
PRUDENTER, PROMPTE.

PRUDENTER, puta, eo loco, tempore, modo, quo beneficium vere beneficium eſt, & ſpem boni effectus habet. Occaſio non deerit. *Eſurientes paſce*, & quot diebus *aliquid* lucelli tui ſepone in ſolatium paupe-

pauperum. *Visita ægrotos* per te, vel per tuos, ut ore, vel ære juves. *Sepeli mortuos*, aut saltem ad tumulum comitare per preces. *Corrige errantes*: amica admonitio de malo, aut adhortatio ad bonum sæpe plus proficit, quam ardentissima concio. *Recte consule dubitantibus*, aut exhibe viro bono saltem, qui consulere recte possit. *Doce ignorantes*: occasio in liberis, & domesticis tuis multa se offeret. *Consolare mœstos*: fides, spes, charitas & *verba*, & *remedia* suggerent. *Ignosce inimicis*, saluta, excusa, commenda Deo, bonum pro malo redde. Hem isti sunt actus, in quibus charitas Christiano-Mariana triumphat.

PROMPTE: nam qui cito dat, bis dat: repugnet *sensus*, modo non vincat. Vincet autem, si, ut benefacias, *a natura* moveris, & non *a gratia*: natura enim se paucis indulget, gratia discrimen, nisi ab urgentiore necessitate non facit. *Dilige proximum, sicut te ipsum*, quia a Deo diligitur, sicut tu, & forte plus, quam tu. Deus ei Pater est, sicut tibi: Christus redemit sanguine suo, sicut te: cœlum creatum pro ipso fuit, sicut

pro te, & si peccaverit, toleratur, invitatur ad pœnitentiam, recipitur in gratiam, sicut tu: eja! *ab hoc exemplo* urge te ad officium, cujus executio Christianismi character est.

XI.
MALEFAC TIBI FREQUENTER, FORTITER.

FREQUENTER, ut assuescas esse Dominus tui: *sensus* cohibere, *affectus* regere, actus tui dominii sunt. SENSIBUS, puta oculis, auribus, linguæ, naribus, palato, toti corpori indulgere aliquid deliciarum non vetaris, sed *quales* & *quantas* concedas, vide: si rapi in obvias per impetum sentis, *moram* ac *modum* impera: mora frangit *impetum*, *modus* excessum cavet. INTER AFFECTUS si *cupido*, & *timor* in potestate erunt, omnes erunt. Itaque nihil *ardenter* cupe, nihil *vehementer* time. Ecce in his cardinibus beata cordis se versat quies. Ardua, inquies, præcepta scribis! ajo, esse facilia *in praxi*, modo hæc animo profunde insculpta sit veritas: *Nullum est bonum grande, nullum malum grave, nisi æternum sit.*

FOR-

FORTITER: Pusio delicatus non est natus ad magna: robur a tolerantia venit. Si vis *diu*, & multo magis si *pie* vivere, ne vive molliter. Non amat Deum, qui amat se, hoc est, qui ad ludicra, qui ad somnum, qui ad otium, qui ad sanitatem, qui ad ipsam vitam *nimis* afficitur: nam qui est talis, nihil agit audacter, semper metuens, ne noceat sibi. Adde, quod horror molestiarum molestias intolerabiles faciat, citoque frangat corpus non assuefactum ad dura. Itaque qui boni sunt, sicut untur hoc mundo, *quasi non utantur*, puta, *sine affectu*, qui cor affigat: qui aliter utuntur, aut *mali* sunt servi Dei, aut certe *inutiles*.

XII.

EXAMINA CONSCIENTIAM QUOTIDIE, ACCURATE.

QUOTIDIE, quia quotidie peccas. Nisi facias, facile *consuetudinem peccandi* contrahis. Atqui, etsi fugi non possit omne peccatum, fugi tamen debet omnis consuetudo peccati. *Consuetudo*, etiam in venialibus, caudam malorum trahit.

ACCURATE, ex hora in horam. IN CRUCIFIXO tanquam in ſpeculo intuere te, & in illo vide caput ſpinis confixum, & tu roſis coronas? oculos lachrymantes, & tu ſiccus Dei injurias intueris? aures latroni apertas, & tu fratri occludis? linguam a ſitu arentem, & tua nunquam areſcit, niſi cum loquitur Deo? pedes & manus clavis perfoſſas, & tu libertatem affectas? cor hians immani vulnere, & tuum unde affligitur? corpus omne conſciſſum flagris, & tu quid patiens pateris? videbis te *ad pudorem*, & dolebis *ad fructum*. Sed forte ad uſum facilior erit praxis, quam ſubjungo.

1. Dic *Gloria Patri* &c. toties, quot memoriæ occurrunt beneficia corpori vel animæ per diem præſtita. 2. Fit diſcuſſio conſcientiæ per duas quæſtiones: *Num nihil hodie feci inferno dignum? nihil corde? ore? opere? omiſſione? . . . &, quid feci dignum cœlo erga Deum? me ipſum? proximum? . . .* 3. Fit actus contritionis: *DEUS, omni amore digniſſime DEUS, propitius eſto (ita te per te ipſum, & per ſanguinem Filii tui obſecro) propi-*

propitius esto mihi peccatori, dolenti ex toto corde de tua offensa, deprecanti totis viribus effrænam audaciam! (vel turpissimam acediam, pro varietate culparum) *emendationem spondenti tota mente! miserere mei Domine, & salvum me fac!* Sequuntur preces nocturnæ ad B. Virginem, ad S. Angelum, ad SS. Patronos eædem, quæ mane, additurque, cum decumbis, suspirium pro benedictione: *Ecce vado ad quietem, ut surgam alacrior ad laborem propter te.* Dum aqua benedicta te aspergis, dic: *Me cum prole pia benedicat Virgo Maria, & S. Joseph in agonia! Amen.* Sic ad somnum comparato erit *felix nox*, & *bona dies* succedet, licet in orbe altero evigilares.

XIII.

UTERE SACRAMENTIS AVIDE, RECTE.

AVIDE: nam Christus invitat: COENA MAGNA parata est. Famem non habes? signum est, quod alium cibum habueris, quo te opplesti: siliquas evome, ut appetitus redeat Panis Angelorum. Ut cor-

corpus ſæpe jejunet, probo: ſed anima epuletur ſplendide, quoties licet.

RECTE: cave, ne compareas non veſtitus veſte nuptiali, quæ eſt *gratia* & *devotio*. Ita erit tibi hoc convivium jucundum, convivium, *in quo Chriſtus ſumitur* Salvator, non Judex: *in quo recolitur memoria paſſionis ejus*, non paſſio renovatur: *in quo mens impletur gratia*, non maledictione: *in quo futuræ gloriæ pignus datur*, non ſtigma reprobationis inuritur. Habes puncta, quæ mediteris, priusquam accedis. In ipſo acceſſu adde meditationi *affectum doloris*, & cum miniſtro ad aram dic; *Confiteor Deo!* . . adde *affectum ſpei*, cum audis Sacerdotem dicentem: *Ecce Agnus Dei!* - - - adde *affectum reverentiæ*, & ſerio fatere: *Domine, non ſum dignus!* . . In receſſu deinde occupa te in affectu amoris & fiduciæ: utrique materiam abunde ſuppeditant ſeptem petitiones orationis dominicæ expenſæ per pauſas.

XIV.
ÆGROTA
FORTITER, UTILITER.

FORTITER: facere ex neceſſitate virtutem etiam ethnici ſolebant: Chriſtianus non conetur? Imo ut coneris feliciter, *ſub ipſum morbi initium* (idem de quavis tribulatione intellige) velim, ut cum fide, ſpe, & charitate ſanitatem, vitamque adeo vitæ auctori Deo ſtrenue ſacrifices. CREDE fide viva, quod Deus ab æterno hunc tibi morbum decreverit, hoc tempore, cum his circumſtantiis: nihil enim nobis, niſi ex ſupremi Domini nutu contingit. SPERA, dolores & moleſtias morbi aliud eſſe nihil, quam verbera divini Patris, non tibi iraſcentis, ſed ex amore paterno vitæ præteritæ labes caſtigantis ad ſalubrem correctionem, ut vexatio det intellectum, & morbo doctore diſcas, quid *homo* ſit, quid *mundus*, quid *Deus*. AMA denique etiam auſterum Deum, & punientem, ut proſit: ſic probas, quod ipſum plus ames, quam te.

UTILITER, hoc eſt, *in ſtatu gratiæ*, & *cum merito.* Devotio, obedientia, & patientia virtutes ſunt ægris propriæ, qui non ut pecudes patiuntur. *Devotionem* exerce non per longas preces fatigantes corpuſculum (ſaltem ſi dolores acuti fuerint) ſed per brevia ſuſpiria, qualia Oratio dominica, Salutatio angelica, Symbolum Apoſtolorum, Pſalmus *Miſerere*, quinque vulnera, piæque imagines in cubili ſuſpenſæ offerunt ad dulce lenimen dolorum, & ſuave ſolatium animi a melancholia dejecti. *Obedientia* præſtita medico & miniſtrantibus ſimilem te Chriſto facit manibus crucifigentium tradenti ſe ſine renitentia, ſine murmure, ſine querelis. *Patientiam* amare debes, ne uti *anima damnata* inter execrationes uraris, ſed ut *cum animabus purgantibus* etiam inter acutiſſimos cruciatus Deum laudes. Non audiatur a te aliud, niſi illud Chriſti ſuſpirium: *Pater, tranſeat a me calix iſte! veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Quod ſi convaleſcis paulatim, memento, ut conſideres, *a quo*, & *cur* tibi vita ſervetur. Medicus meriſſimum inſtrumentum eſt, Deus

te

te ſervat: cur? utique non ut pejor, ſed ut melior fias. *Ecce ſanus factus es*, dicebat paralitico Dominus, *jam noli peccare, ne quid deterius tibi contingat!* Quid eſt quid deterius morbo, niſi mors, & infernus? Igitur vide, quid agas, & noli eſſe *incorrigibilis.* Filius, qui a patre emendari ne quidem verberibus poteſt, denique exhæredatur: & tu ſcito, vix eſſe certius ſignum reprobationis æternæ, quam neque a flagris fieri meliorem, quia errare quidem humanum eſt, ſed in errore *contumaciter* perſeverare, diabolicum. Certe diabolis propria malitia eſt, quod fiant pejores a pœnis.

XV.
MORERE
PROVIDE, JUCUNDE.

PROVIDE, ſic ut in tempore *diſponas domui tuæ*, & ultima Sacramenta (Confeſſionem præcipue) non differas *in periculum extremum*, cum aut incapax eris, aut minus certe capax fructuum, quos hæc ſacra ſubſidia morientibus ferunt. *Ipſe poſtula*: neque tuorum nimis carnali prudentiæ fide.

Non cogitant, quod ſacra Myſteria inſti. tuta ſint pro morbis *periculoſis*, & non ſolum pro deſperatis: non attendunt, quod medicis paſſim contingant improviſi caſus, qui, cum repente ægrum aut vox deſtituit, aut uſus rationis deſerit, exclamare cogunt bonos homines: *non putaſſem!* ſæpe cum æterno ægroti detrimento, merito ſupremis privati ſolatiis, quod ex vaniſſimo reſpectu ad homines (nam, *quid dicet familia?* ajunt, *quam terrebitur ſoror* &c. o vanitas!) ſuſcipere Euchariſtiam noluerit, quaſi in lla venenum ſumeret. Tu attende, quid tibi proſit: quid dicant, vel putent alii: quid ad te?

JUCUNDE: nam cur *provide* (ſicut modo expoſui) morienti mors triſtis videatur? quod poſt mortem detur vita, præſente infinities *melior*, FIDES docet: quod vita illa felix pertineat *ad te*, SPES promittit: quod eadem præ hac omnibus deſideriis deſideranda ſit *tibi*, CHARITAS monet: quid vis amplius? Eja! diſtingue ab animali animam, & *illud* hilariter Deo immola, ut *hæc* ſalvetur: ita utrique conſulis,

ſulis, quia quo præit anima, corpus ſequetur ſuo tempore, & cum illa erit æternum felix. Quotidie oras : *Adveniat regnum tuum!* ergo cum aperit januam mors, procede hilariter : intras *in gaudium Domini tui.*

DENIQUE UNIVERSIM

VIVE

EX PRINCIPIIS CERTIS AC SOLIDIS FIRMITER.

EXTERNÆ LEGES nihil perſeverantiam juvant, niſi INTERNA acceſſerit, quæ *pro omnibus circumſtantiis* externarum obſervantiam urget, etiam cum nemo nos videt, atque adeo nec *ſpes* invitat, nec *timor* compellit. Lex ejusmodi componitur ex certis, ſolidisque *principiis* convincentibus intellectum, & *ex concluſionibus* dirigentibus voluntatem. Schema ſubjungo accommodatum *Methodo vitæ* hucusque explicatæ.

PRINCIPIA.

I.

Firma ſit reſolutio : volo ſalvare animam meam!, quocunque labore conſtet :

nullum

nullum excipio. Absit, ut sim *ex multis:* nam *pauci electi.*

Salus animæ pendet a bona morte, bona mors a bona vita, bona vita a bona constitutione *trium temporum*, ex quibus vita componitur.

Tempus præteritum emendat *dolor*: tempus præsens *amor* ordinat: tempori futuro *timor* providet. Hi *tres affectus* trinum perfectum habent: horum exercitatio sit assidua.

2.

DOLORIS *materia* est vita male acta. Historiæ compendium do, si dico: *Multa mala feci, parum boni, & hoc ipsum parum bene!*

Doloris *fructus* sunt confessio, & satisfactio: *confessio* facienda Sacerdoti semel, Deo quotidie: *satisfactio* exigenda a se ipso *cum rigore:* nam pœnitentia sine pœna nomen inane habet.

Exercitium doloris est geminum, sustine, & abstine. *Sustine* supplicia a Deo immissa, & sponte suscepta: *Abstine* a voluptatibus prohibitis, periculosis, superfluis. Homo pœnitens est homo sibi irascens: *ex*

ira

ira collige, an tibi placere *de vero dolore* poſſis. Væ miſero, ſi eris inter pœnitentes deceptos!

3.

AMORIS ignea natura eſt, nunquam dicit: *ſufficit!* ut *præteriti temporis* jacturam reparet, ſtatuit *pro præſenti* ſervire Deo *in gradu ſuperlativo.*

Actus amoris præcipui ſunt *ordo actionum,* & *moderatio paſſionum:* ille exteriorem, hæc interiorem hominem componit ad nutus Dilecti.

Ordinem actionum formant *amor devotionis,* & *amor laboris*, duo amores, qui ſi cor poſſident, nunquam *corpori* dabimus tempus nimis multum, nunquam *animæ* nimis parum, ſemper *officio,* quantum exigit.

Moderatio paſſionum requirit *voluntatem imperioſam*, quæ coerceat tumultuantes intra limites divinæ legis, ne excedant vel *in cauſa*, vel *in modo.* Una regula omnes regit: NIHIL PER IMPETUM loquere, ſtatue, age.

4. Amo-

4.

